

LECTORI



Habe Lector amice! brevem Veteris
cumprimis VINDOBONÆ noti-
tiam! brevem ajo: siquidem, ne
prolixior sit, illud me CALLIMACHI
absterret: *Magnus Liber, magnum malum.* Ne-
que metue, perspicuitati operis aliquid detra-
ctum iri brevitate; stylo utor planissimo, sæ-
pe verbis documentorum, sæpius vocibus civi-
tate, utut non Romana donatis; malo quippe
intelligi quam laudari. Fiet hac ratione, la-
borem is saltem ut probet, qui plana & com-
pendiaria methodo certi aliquid de celeber-
rima urbe nostra scire exoptat. Plures de
Augusta hac Cæsarum sede scripsere, quos
inter præcipui sunt ENENCKELIUS, HASLBA-
CHIUS, ÆNEAS SYLVIUS, CUSPINIANUS, LA-
ZIUS, ABERMANNUS, LAMBECIUS, KÜCHELBÖ-
KERUS, FUHRMANNUS; verum aut siccius aliqui,

aut prolixius: omnes instrumentorum, quæ tardius in lucem protracta sunt, penuria, documentis non semper certis usi. Antiquorem idcirco, ac demonstrari potest, ætatem Urbi huic aliquorum in eam amor tribuit, aliorum novitatis magis ac veritatis studium de ejusdem vetustate detraxit nimium. Optime me quidem judice de hac agit in Annalibus Principum Austriae ex stirpe Babenbergica **SIGISMUNDUS CALLESIUS** saeculo nostro præmature ereptus. Hunc ego præter Authores synchronos ac documenta authentica ut plurimum secutus sum, adjuncto labore fane operoso coram lustrandi omnia ac inspiciendi, conferendi inter se, quæque ad rem meam facerent, inde eruendi. Si recte, gaudeo; si minus, recte me voluisse, gaudebo. Quod si aut plura, aut certiora, ac ego affero, quis mecum communicet, is mihi beneficium frustra hactenus a pluribus exoratum præstabit. Ceterum omnibus, quæ ex meo aut aliorum sensu attuli, majorem fidem non postulo, quam aut ratio, aut conjectura verosimilis admittit. Vale!

IN-